

Trauergedichte,

Quam retulisse iuuat me, commentatio pulchra,
 Qua docto more explicuisti
Aram cum nummo cuiusdam Numinis, aeuo
 Prisco est Terminus ille vocatus.
 Sicut doctrina rara, virtuteque patris
 Effingis formam faciemque:
 Sic quoque coniugio fausto, Tibi gratulor istud,
 Prosequeris vestigia patris,
 Totos cum socia vitae, mensae, thalamique
 Consumis concorditer annos.
 Ter sunt felices, credas, atque amplius illi,
 Copula quos irrupta coercet,
 Nec diuulsus amor citius soluet supremo
 Lite die prauisque querelis:
 Sic in Te floret patris memorabile nomen,
 Quod nulloque tacebitur aeuo.
 Abstineas plorare patrem, mi candide **LAVHN**,
 Obtundas fontem lacrimarum.
 Namque senex obiit perfractus membra labore,
 Et mersus ciuilibus vndis.
 Virtutis verae custos, rigidusque fatelles
 Ex vita hac misera reuolauit.
 Innixus **CHRISTI** merito nunc attigit arces
 Caelestes, queis deliciarum
 Fontes et riuos nunc purpureo babit ore.
 Expers curarum fine fine
 Gaudet. In arce Dei non turbat turba malorum
 Laetitiam, fruiturque quiete.
 Electos inter versans Christique ministros,
 Ille odit curare quod ultra est.



* * *

Manes Beati, fit mihi fas nouo
 Suprema busto reddere munera,
 Et debitos offerre honores,
 Inferias, miserabile donum.

Non mella, molles non violas fero,
 Nec spargo lac dulce, at lacrimas dabo
 Pallenti ab ore, ast inuenustum
 Flebilibus numerisque carmen.